

Philipp Balthasar Gerdes

**Collegii Jurisconsultorum Gryphiswaldensis Decanus, Idemqve Senior, Phil. Balthas. Gerdes, Regii Consist. Director ... Ad Disputationem Solennem De Probatione In Continenti ... Dn. Augustini Balthasaris, Gryphisw. Pomer. In Auditorio Majori Habendam ... invitat**

Gryphisw[aldiae]: Höpfner, [1726]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn743871766>

Druck Freier  Zugang






Gerdes, P. B.,  
in **A. Balthasar.**  
Gryph.

63.
















*Aug. Balthasar*

COLLEGII  
JURISCONSULTORUM GRYPHISWALDENSIS  
DECANUS,  
IDEMQUE SENIOR,  
**PHIL. BALTHAS. GERDES,**  
REGII CONSIST. DIRECTOR, JUR. D. ET PROF. ORDIN.  
AD  
DISPUTATIONEM SOLENNEM  
DE  
**PROBATIONE IN CON-**  
**TINENTI,**  
*PRÆNOBILISSIMI ET CONSULTISSIMI,*  
**DN. AUGUSTINI BALTHASARIS,**  
GRYPHISW. POMER.  
IN AUDITORIO MAJORI  
HABENDAM  
MAGNIFICUM DOMINUM RECTOREM,  
GENEROSUM DOMINUM PROCANCELLARIUM,  
GENEROSUM REGII DICASTERII SENATUM,  
NEC MINUS PRÆPRIMIS  
OMNIUM FACULTATUM PROFESSORES,  
TUM QUOQUE  
AMPLISSIMUM CIVITATIS CONSULUM  
ET SENATORUM,  
ET REVERENDUM MINISTERII CONSESSUM,  
DEMUM  
OMNES LITERAKUM PATRONOS ET FAUTORES,  
Eo, quo par est, cultu & studio invitat.

*Gryphisw. Typis Caroli Höpferi, Reg. Acad. Typogr.*





Præfens Thema argumento est, bonas Leges pro acceleranda justitia non deesse, modo non alia justitiæ impedimenta injiciantur. Avertat Deus, ne hæc in continenti probatio idem in judiciis experiatur fatum, quod accidit judicio momentaneo pariter à celeritate procedendi dicto, de quo in Disf. refertur, illud ad 30. annos esse productum. Quodsi hoc in momentaneo contigerit processu, quidni justas putemus esse querelas, quæ de æternitate processuum in judicio ordinario audiuntur? Varii iique graves justitiæ ægrotantis sunt morbi, quos omnes enumerare præfens scriptionis genus non permittit. Interim proximis duobus Seculis & nostris ætatibus Viri Præstantissimi media & consilia de emendanda justitiæ administratione exhibuerunt, quorum magnum numerum ad 80. usque recenset Dominus Doct. ERN. JOACH. WESTPHAL & adjecit *Tract de corrupt. jurispr. orig. & medel.* Inter nævos justitiæ principem obtinere locum ejusdem protractionem, uno omnes Doctores ajunt ore. Quamobrem non pauci veterum Germanorum statum mirifice extollunt, & aureum ipsis audit Seculum, quod tunc temporis lites uno veluti ictu extinctæ fuerint. Verum hi fumum vendunt, & ut habeant, quod scribant, antiqua laudant plerumque, præsentia fastidiunt. Etenim uti longior cunctatio ita præceps festinatio justitiæ pestis esse potest. Gallicum proverbium est: *Fol jage, promte Sentence.* Deinceps veteres Germani expeditissimos quidem, & pariter injustissimos veluti per duellum finiendi lites habuere modos, quam barbariem inter Christianos laudare nefas est. Præterea apud antiquissimos Germanos arbitrium judicantis utramque fecit paginam, cunctis fere abinde dependentibus. Gravis autem in Republ. res est, ubi omnia ad arbitrium judicis redeunt, quod sæpe pravum affectu, vel præceps imprudentia. Sane si nulla modi procedendi ejusque justitiæ habenda sit ratio, non opus erit, aut periculosam ac damnabilem finiendi lites



lites viam ingredi, vel istas iudicis libidini permittere, sed alia brevior terminandi controversias erit ratio, ut de litibus testetur ludatur, uti s'vadet RABALÆUS, cujus verba legi possunt apud PETR. MÜLL. *ad Struv. Tit. de Trans. ad §. 54.* Verum licet criminofam in iudicando præcipitantiam, & decisa impetu protrusa, fulmina magis quam Sententias habeam; tamen ideo diuturnitatem processuum minime probo, sed potius detestor, & multis merito gravior habetur iustitiæ protractio quam denegatio, quia, uti dicunt, *præstat, cito perire morte, quam lente & quasi articulatim discerpi.* Interim hoc malum ab omni ævo iudicia afflixit. Notum scomma: *Lites spiræ spirant, nunquam exspirant.* Speculator inter praticos sui temporis primus refert, sibi 34. annos nato causam ante nativitatem cœptam commissam, ubi lis nondum erat contestata. Quin ex actis ad Fac. transmissis unum observavi processum, qui jam per Seculum vixerat, & varie agitatus novissime in appellationis instantia super exc. dilat. pro reconv. & in puncto legit. pendebat. Circumspicienti mihi causas operæ pretium visum est, indagare, cuinam principalis causa adscribenda sit, quod in Germ. lites, quas avus cœpit, vix feri finiant nepotes. Multi tædiosæ litium protractationis causarum, in legum varietatem rejiciunt, qua German. iudicia confunduntur. Nam in iudiciis unus ad Jus patrium, alter ad extraneum, hic ad Jus Justinianum, ille ad Pontificium, tertius ad recessus, novatores ad obsoletas leges Germ. alius ad Glossam & communem Doctorum opinionem provocat. Ingenue, grave hoc esse malum, agnoscimus, attamen putamus ex mixtura & collisione domesticarum & extranearum legum magis studium Jurisprudentiæ reddi difficile, quam improbas protelationes generari. Deinceps Princeps huic malo mederi potest, si reformationem hac in re instituat, vel si hoc inter pia vota referendum, saltem certo determinet, quodnam Jus & quo ordine in singulis locis obtineat; Alii speciatim æternitatem & multitudinem litium Juri Justiniano adscribunt, & eam cessaturam putant, modo illud tolleretur. Non moror eos, qui in Jus Justin. ex ignorantia invehunt, uti accidit AMESIO in *Tract. de Consc.* sæpe legum nostrarum imperito cen-



fori, quia nec terminos, nec mentem juris calluit. Huc referunt GOTOFREDUM ARNOLDI, qui in *Hist. Eccles.* ad instar CAROLOSTADI in Jus Justin. insurrexisse dicitur. Verum majorem fidem mereri videntur, qui Juris Justin. scientissimi, tamen infinitos litium mœandros & diverticula Juri Justin. tribuunt, quam in rem objiunt legum multitudinem, quasi multæ lites sint, ubi multæ leges. Attamen Reip. expedit, omnia legibus definiiri, quæ affectibus non sunt obnoxia, nec quicquam præter necessitatem judicis libidini permitti, cum justitiæ pernicies sit, si lites à mero arbitrio judicis dependeant. Itaque tollatur Legum inutilium abundantia, ita vero, ne defectus bonarum sit. Ultimo multitudo legum Jurisprudentia studium efficit difficile, non vero diuturnitatem processuum parere videtur, si non LL. eo comparatæ sunt, quales in Jure Justiniano esse, nondum evictum est. Potius aliud apparet *ex L. 13. C. de jud.* ubi Imp. Justin. ait: *Reipubl. interesse, ne lites fiant immortales & hominum vita modum excedant*, hinc constituit, causas civiles triennio, criminales biennio terminandas, pœna pro modo admissi in judicem, litigantes, advocatos sancita, si præfixo tempore lis non finiatur. Sed dolendum est, hanc legem usu non servari. Alii à jure Canonico longissimas litium ambages arcessunt, & dicunt, pontifices per singularem astutiam in jure pontif. litium, calumniarum, & sycophantiarum sementem sparsisse, & uberem procrastinationum & comperendinationum campum subornasse. Cum ergo pleræque judiciariæ ordinationes in Germ. juxta stylum processus Juris Can. compositæ sunt, ideo prudentiores non immerito Juri Can. & ad hujus pedem conscriptis ordinationibus judicialibus magnam culpæ partem protractæ justitiæ imputant. Etenim oculata fides docet, nimis dilationibus laxatum, solennium & formalium sæpe inutilium scrupulosam observationem partibus quam judici præscriptam ligare judicis manus, quo minus processus ambages ex voto recidere queat. Plura eaque utilia hanc in rem afferri possent, si instituti ratio pateretur. Unum tamen adducendū est exemplum. Vulgo in judiciis duplex Processus est, ordinarius & summarius, distinctio vere excogitata, ne lites brevi finirentur, Processus summarius



rius omnia iudicii substantialia habet, & longiori sæpius, quam decet, mora trahitur, nec ergo opus est processu ordinario, veluti longiore sufflamine litis. Pii Jcti, uti BRUNNEMANNUS & alii, serio exoptarunt, ut processus ordinarius plane abrogetur. Plura ejusmodi in ordinationibus judic. occurrunt, magis ad protrahendas quam abbreviandas lites apta. Verum hæc patiuntur emendationem, si Princeps medicam adhibeat manum. Migramus leges, quæ licet in Republ. optimæ sunt, nec tamen litium protractio evitabitur, donec erit hominum malitia. Primum quidem ipsi litigantes sua improbitate litem protelant, cum plerumque non bona fide sed mendaciis causas agunt. Nec enim mendacia ullibi magis quam in judiciis, ubi minime esse deberent grassantur, unde scomma illud, *si fecisti nega, est prima regula Juris*. Utinam pœnæ, quibus mendacia Jure Rom. coercentur, hodieque servarentur! Hoc certum est, sublatis mendaciis è judiciis, si nec actor nec reus illis uterentur, omnem processum brevissimum esse posse. Sed hæc felicitas, donec universum stabit, non speranda erit. Deinceps etsi litigantes ex simplicitate lites protrahere nesciunt, causidici tamen malitiam, quæ illis deest, non raro suppleant, quippe hi mille artibus processum æternare norunt. Unde multi omnem culpam protractarum litium in Advocos rejiciunt. Distingvimus Rabulas ab Advocatis, horum munus laudabile, & in Republ. necessarium est, sed rabulæ, nomine Advocati superbientes, sancto hoc officio abutuntur, & variis dolis ac technis lites ex litibus ferunt, easque in infinitum ducunt. Attamen quominus his principalem litium protactionis tribuamus causam, commovemur effato Imp. JUSTIN. qui in *L. 3. Cod. de jud.* ait: *Si judices noluerint, nullus tam audax invenitur, qui possit, invito judice, litem protelare*. Quibus verbis innuit, penes judicem principalem esse causam & culpam, quod lites protrahantur, cum gaudeat potestate refrenandi malas artes litigantium & advocatorum. Sed varia sunt vicia, quæ, dicente Justiniano, animis judicum innasci solent, quibus perversi, vel ipsi lites protrahunt, aut tamen protelantibus connivent. Judices ipsi infinitis modis processum protrahunt, & hoc quidem visibiliter agunt, si in



officio suo sunt negligentēs, vel per ignaviam aut sordes aliquęque malignum affectum. Deinceps in Judices causa protractę litis redundat, si litigantium artibus, quibus litem æternare student, obicem, cum possint, non ponant, qua in re variis ex causis connivent, vel quia venalis illis est justitia, aut accedit potentia & reverentia partis. Inter has alii referunt sportulas, quas habendi cupido judices sæpe execat, ut lites ad ditescendam sportularum capsulam duci sinant. Quapropter JCtus MANZIUS judicibus & scribis pro extrahendis mandatis, decretis, sententiis exsolvi solitam sportulam, horrendum ac stupendum appellat brutum, quod justitię sinit cursum, optans, hæcce justitię onera in Pelago sepulta jacere. Hinc prudentiores opinantur, cursum justitię mirifice promotum iri, si Salarium judicum & scribarum augetur, omnibus Sportulis abrogatis. Verum hoc remedium non erit sufficiens, cum radix mali sit in judice, qui, si malus & impius est, sine sportulis litem protrahere & protelantibus connivere potest, sin talis, qualem justitię administrandę præfectum exigit, & describit Mosis focer JETRO *Exod. 18. v. 21.* tum & acceptis legitimis sportulis pro viribus protractionem processuum impediēt. Verum hæc satis sunt & plura afferre, studio omitto, & me refero ad Dominum à ROHR in der *Einleitung zur Staatsklugheit/ Cap. 24. §. 28. &c.* qui similiter principalem justitię protractę culpam devolvit in judicem, eamque satis luculenter demonstravit. Add. PHIL. KREBS in seinen *Bedencken mit vorgeschlagenen Mitteln und Remediis, welchergestalt das hochbetrübtte Justice-Wesen in bessern Stande gebracht ic.* Denuo in votum desino optoque, ut omnes judices, litigantes & Advocati seria cogitent mente extremam judicalem disceptationem, quam in novissimis rerum comitiis judex omnium judicum supremus instituet, ubi momento, quo judicium habetur, & sententia proferetur, qua omnes justitię mattiges & litium diuturnitatis Autores ac Patronos æternum condemnabit, nec ulla aut provocatio, aut quodcunque remedium impugnativam locum amplius inveniet. Jam ad rem mihi accedendum est, quę agenda est, & cujus gratia pauciora hæc præfatus sum. DN. CANDIDATI vitę hactenus peractę curriculum ipsius verbis exhibere placet. Pri-



Primam vitæ usuram auspicatus sum, in hac ipsa Musarum sede Gryphiswaldensi. Anno hujus Seculi Primo die 20. m. Maji, Patre JACOBO BALTHASARE, J. U. D. Moral. & Hist. Ord. & Juris in hac Acad. Prof. Extraordinario, deinde Civitatis hujus Syndico, & demum Regim. Ducal. Rostoch. Confil. & Cancell. Meckl. Vice-Directore, Matreque ANNA CATHARINA GERDESSEN, DN. FRID. GERDESII, J. Cti, & Acad. hujus Prof. & Confist. Ecclesiast. Direct. Cujus in officio hodie Successor & Filius ejus PHIL. BALTH. GERDESIUS, Avunculus omni pietatis cultu devenerandus. Uterius imagines paternæ linæ investigavit Frater JACOBUS HENRICUS BALTHASAR, in Progr. Disputationi ejus Inaug. A. 1720. præmisso. Anno 1704. Parens in Consilia Ducis Mecklenb. adscitus, familiæ suæ sedem Rostochium transtulit; Sed hic tristis familiam nostram excepit casus, dum Parens longe charissimus non ita multo post, nempe 1706. die 1. Maji, mihi in primo ætatis flore immatura morte abriperetur, quo factum, ut onus educationis in charissimam matrem, quam summum Numen diutissime in meum meorumque solatium velit superstitem, reciderit, quod tamen, manus auxiliatrices jungente Avunculo, nunquam non paterna benevolentia me familiamque nostram prosequente, admodum ipsi fuit sublevatum. Matris itaque dulcissimæ curæ ac sollicitudini indefessæ debeo, quod à teneris pietate innutritus, literis simul dedicatus sim; hæc enim, quam primum tenera ætas ferebat, privatæ informationi me tradidit, donec 1715. Scholam publicam frequentare, inque Classẽ ejus supremam recipi dignus habitus, in qua profectus mei tunc temporis adhuc valde exigui, fidelissima informatione DN. M. THEOD. BATTI, Rectoris tum temporis, jam vero Ecclesiastes ad D. Nicolai ædem, nec non DN. JOH. ENGELBRECHTI, Con-R. jam in locum illius evecti, per triennium, quod horum virorum solidissima informatione fructus sum, haud exigua in humanioribus cepere incrementa, ita ut Anno 1718. ex Consilio proximorum Societati Academicæ nomen dederim, quo facto mox Jurisprud. studio animum dicavi. Ne vero illotis, quod ajunt, manibus Sacratiss. hoc Studi-



Studium aggrederer cum eo simul Historiam, Philosophiam  
 Moralem ac Politicam, conjunxi, duce in hoc Studiorum gene-  
 re electo DN. ANDR. WESTPHALIO, Moral. & Hist. Prof.  
 h. t. Rectore Magnif., cujus benevolentiam nullis non meri-  
 torum officiis sum expertus, quæ quotidie adhuc dum in me  
 derivantur cumulatissime. Hujus solidissima informatione ne-  
 cessariis hisce Studiorum subsidiis enutritus, totum me sacræ  
 Themidi mancipavi, & salutavi subsellia Viri HENN. CHR.  
 GERDESII, J. U. D. & Prof. Ordin., Reg. Confist. Directo-  
 ris, Viri diuturno affiduoque magnarum rerum usu Juris-Con-  
 sultissimi, cognati ex Matre in cineribus adhuc colendi, nec  
 non DN. PRÆSIDIS, Avunculi mei, cujus insignem in me e-  
 rudiendo adhibitam curam nunquam debitis fatis laudibus  
 extollere valeo. Nec enim hic fatis putabat, privatis suis in-  
 formationibus & exercitationibus Studia mea quovis modo  
 augere, sed & publico quoque actu Disputatorio, cum in Disp.  
 sua *de Poena adulterii ex J. div. & hum.* anno. 1719. ventilatæ Re-  
 spondentis multisque aliis vicibus opponentis spartam mihi  
 committeret, industriæ meæ stimulos addidit. Præterea Le-  
 ctionibus eius tam publicis quam privatis sedulo interfui, con-  
 siliis domesticis morem gerere, curæ semper cordique mihi fuit.  
 Ab his itaque Doctoribus eruditionis subsidiis instructus con-  
 suetudini receptæ ut morem gererem, anno 1723. post Festum  
 Paschatos exteras petii Academias, cum paulo ante eodem anno  
 ex Hist. Pomer. sub Præsid. Viri Magnif. DN. WESTPHALII  
 ventilata Disput. *de Ducum Pomeranorum in Rem. Lit. meritis*, publi-  
 ce quasi Musis patriis valedixerim. Posthæc iter ingressus,  
 variis in itinere perlustratis urbibus, tandem Jenam adveni.  
 Hospitio ibi fruebar Excell. DN. WALCHII, jam Prof. ibidem  
 Theol. Ordinarii, cuius singularem, qua alios vincit, humanita-  
 tem ac benevolentiam ob cognationem, quæ mihi cum Socero  
 eius DN. BUDDEO intercedit, quotidie in me redundan-  
 tem absens etiam grata mente recolo; Hic itaque dum com-  
 moror, in illis potissimum Studiis colligendis operam impendi,  
 quorum in Patria Academ. mea quidem ætate parcius fuit  
 commercium, Prælegente ita DN. BUDERO, J. U. jam D. &  
 Biblio-



Bibliothecario solertissimo audivi Collegium Jur. Publ. ad Institut. KEMMERICHIANAS, eodem duce in Hist. Liter. Jurid. ad ductum Bibliothecæ STRUVIANÆ haud spernendos feci profectus. In Histor. Univers. Germ. Historici illius Jenens. qui diu Polyhistoris nomen meruit, DN. STRUVII, nec non DN. SCHMELTZELII, Histor. Profes. cuius familiaritate uti licebat, informationem nec etiam sine fructu elegi. Præterea sub moderamine DN. GOTL. SLEVOGTII singulis hebdomadibus ingenium ac linguam publice disputando exercui, quam in rem prostat Programma ipsius Præsidis Exercit. hujus intimatorium de *Disputatione* fori, cui nomina Resp. sunt inserta, id quod iam ultimo loco exstat in Eiusd. Collect. de Sectis & Philosophia JCtorum. Ne etiam eius, cuius in Patria iam posueram fundamenta, quid memoria excideret, repetitionis vice Collegium ad ff. absolvi prælegente D. JOH. SAM. BRUNQVELLO, iam Prof. Hilpurgsh. Ad SCHILTERI Institut. J. Eccles. audivi DN. FLOERCKIUM, qui diu iam doctis scriptis suis locum inter eruditos sibi conciliavit non postremum. Et denique, ne Studio plane valedixisse videar Philosophico, Celeberrimi DN. WALCHII Collegio über seinen Entwurff der allgemeinen Gelahrtsamkeit, sedulo interfui. Contingebat etiam hoc anno *Erfordiam* visere, ridiculas ibidem ceremonias Pontificiorum in celebratione festi corporis Christi solennes spectaturus. Præterlapso tandem anni spatium; Jenam relinquens, *Lipsiam* petii, ubi per hebdomadam intervalla tempus in perlustrandis Bibliothecis atque Eruditos visitando consumsi, in primis salutavi venerandum illud caput eruditionis canitie canum LUD. MENCKENIUM iam è vivis sublatum, nec non omni eruditionis laude Excellentem J. B. MENCKEN., OLEARIUM, &c. Ab hinc *Wittebergam* discessi, ubi non minus ab eruditis, quibus Academia hæcce corruscet, svaviter in colloquium sum admissus, utpote JCtis magni nominis WERNHERO, KEMMERICHIO, BERGERO, MENCKENIO ac BASTINELLERO in primis SPENERO, & qui inter Theologos nostræ Ecclesiæ eminet, WERNSDORFFIO. Wittebergâ Metropolin atque Regiam Misniæ urbem *Dresdam* me contuli, cujus

B loci



loci amœnitate incolarumque humanitate captus, per menstruum spatium itineri moram injeci, deinde *Misniam, Torgoviam, Lützen*, ibique locum, quo Inclytus ille heros GUSTAVUS ADOLPHUS cecidit, oculis perlustravi, donec *Wittebergam* denuo atque *Halam*, ubi Eruditorum itidem conspectum atque consuetudinem ambiens, à THOMASIO, BOHNERO, LUDEWIGIO, GUNDLINGIO, &c. discursu erudito exceptus sum, transiens, ad *Musas Jenenses* redii, atque sic porro iter direxi, *Vinariam, Erfordiam, Gotham, Isenacum*, ubi, perlustratis ubique notatu dignis, quæ peregrinantium literatorum desiderio expetuntur, tandem *Marpurgum* tendi, ubi accessum mihi paravi ad eruditos, quos inclyta hæc Musarum sedes ostentat, utpote DN. Δ FELDEN, ZAUNSCHLIFFERUM, WOLFFIUM nuper tum *Hala* advenam; Confinis inde me excepit Academia *Giessensis*, ubi inprimis à Celeb. illo Jctorum Antistite WEBERO humaniter sum exceptus, postea *Werzlariam*, sedem judicii Cameralis lustravi, tandemque *Francofurtum ad Mœnum* Civitatem externo splendore sine pari, & à coronatione Imperat, ibique in Curia asserto exemplari Aur Bull, quod vulgo authenticum existimatur, notissimam. Hinc per Rhenum in *Bataviam* iter intendens prius circumjacentia loca celebriora utpote *Coloniam, Moguntiam*, & quæ sunt reliqua adii, quibus perlustratis tandem *Ultrajectum* me excepit, ubi inter vivos deprehendi, quos salutare licuit, Antistites Jurispr. van ECK, van MOYDËN & OTTONEM, Jctum Germanum. Hinc discedens Celeberrimum illud totius Europæ Emporium *Amstelodamum*, sed mihi vere Angsterdamum, contendi, ubi incidi in Nebulonis honestum mentientis virum, comitem simulantis fidelissimum insidias furtivas, à quo omnibus rebus vel charissimis spoliatus, quo adverso casu valde animo perturbatus, *Ultrajectum* repetii, ubi præter voluntatem per menstruum fere spatium alligatus, interim *Culenburgam* in vicinia visitans, fidissimum amicum, cum quo amicitie scœdus olim *Jenæ* sancire contigit, nomine M ÜTZEN, tum Parenti Ecclesiæ ibidem Lutheranæ Pastori meritissimo offendi Substitutum, qui multa amicitie officia in me cumulavit, cuius ope aditum mihi paravi ad Jctum ibidem locorum  
degen-



degentem BRINCKMANNUM nomen inter eruditos peregrinantes sat celebre. Mox autem *Ultrajectum* repetens, ulterius iter profecutus sum *Lugdunam*, omnium celebriorem Bataviæ Academiam, & ibi magnos Jctos G. NOODT, SCHULTINGIUM, VITRIARIUM jun. alloqui honos mihi fuit; Hinc profectus *Hagam*, item *Delft*, & quæ natalibus ERASMI ROTER. inter Eruditos maxime connotuit, Rotterdamum. Tandem *Amstelodamum* regressus, atque per Mare Septentr. nave *Hamburgum* profecturus, infvetus pelagi irarum fraudumque ignarus, mox Elemento admodum barbaro me vitam credidisse fero quidem expertus sum. Tanta enim maris exstitit feditio, ut singulis fere momentis naviculam nostram inenatabili profundo absorbtam iri metuerem. Adhuc magis vero de vita mea actum esse credebam, cum viderim nautam vi venti è navi sublatum & in mare projectum ac protinus fluctibus submersum. Sed Dominus navis, qui solus ad regendam navim aptus supererat, per dies noctesque pro nostra navisque salute laborans, measque sociique in navi Nobilis Silesii, nomine ERNST FRID. de KÖLICHEN, manus socias implorabat, qua ope denegata actum de nobis fuisset, ubi tum necessitas agere iubebat, quæ non didiceram. Tandem singulari Dei clementia terram, mutilato licet navigio, appulsi, periculum vitæ evalimus. Lætus in terram *Hamburgensem* desilii, ubi in transitu vidi *Stadam*, *Glückstadam*, nec non *Altonaviam*, Hamburgi fere per mensem substiti. Abhinc *Wismariam*, inclytam supremi Appellationis iudicii qua provincias Germaniæ Svecico Sceptro parentes sedem perveni, & ibi à proximis cognatis, liberalissime sum exceptus, donec tandem quadrimestri spatio inter amicos svaviter consumto, *Rostoch*, atque *Sundum* transiens mense Jan. 1726. ad lares & penates domesticos redii. Hic animum Studiis Academicis applicare cæpi, quem in finem primo die mensis Maji Collegium Institutionum exorïus, & insuper varie docendo Jura occupatus fui, ubi ex frequentia & per omne id tempus mihi donata præsentia *Illustrissimi Domini Comitis de FLEMMING*, cæterorumque *Generosiss. & Nobiliss. DN. AUDITORUM*, non tam indicium intensissimæ ipsorum in me



voluntatis collegi sed pariter hic honoris stimulus animum meum eo accendit, ut præsens arduum aggressus sim opus, ea unice intentione, quo hac ratione ius ac libertatem docendi iura consequerer.


Itaque CANDIDATUS noster nomen suum ex more recepto Amplissimæ FACULTATI JURIDICÆ professus est. Suffragata est illa honestissimo suo petito, qui ad Examen admissus talem se præstitit, qualem Visitationis Recessus in domestico Candidato exigit. Habitis igitur cum applausu Auditorii Lectionibus cursoriis, uti dicuntur, *ad L. 4. C. de S. Trin. & fide Cath. & ut nemo publ. de ea contendere audeat*: nunc quoque Facultas in Cathedra inaugurali, de PROBATIONE IN CONTINENTI disputaturum sistere decrevit. Cui panegyri ut MAGNIFICUS DOMINUS RECTOR, & GENEROSUS DOMINUS PROCANCELLARIUS PERPETUUS, GENEROSI DOMINI DICASTERII DIRECTOR & CONSILIARII, & PATRES ACADEMIÆ VENERANDI, Civitatis huius CONSULES & SENATORES amplissimi, PLURIMUM REVERENDI ECCLESIÆ MINISTRI, omnes denique, qui Jurisprudentiæ cupiunt bene, Cives præsertim nostri dilectissimi, interesse, atque sic CANDIDATI nostri conatus iuvare velint, quo decet, Cultu & studio Collegii nostri & DOMINI CANDIDATI nomine etiam atque etiam rogo & contendo.





















degentem BRINCKMANNUM nomen inter  
 grinantes fat celebre. Mox autem *Ultrajectum* r  
 us iter profectus sum *Lugdunam*, omnium ce  
 viæ Academiam, & ibi magnos Jctos G. NOC  
 TINGIUM, VITRIARIUM jun. alloq  
 fuit; Hinc profectus *Hagam*, item *Delft*, &  
 ERASMI ROTER. inter Eruditos maxime con  
 damum. Tandem *Amfelodamum* regressus, a  
 Septentr. nave *Hamburgum* profecturus, infvetu  
 fraudumque ignarus, mox Elemento admod  
 vitam credidisse fero quidem expertus sum.  
 ris; exstitit seditio, ut singulis fere momentis  
 stram inenatabili profundo absorbtam iri me  
 magis vero de vita mea actum esse credebam  
 nautam vi venti ê navi sublatum & in mare pro  
 tinus fluctibus submersum. Sed Dominus navis  
 gendam navim aptus supererat, per dies nocte  
 navisque salute laborans, measque sociique in  
 lesii, nomine ERNST FRID. de KÖLICHEN, n  
 plorabat, qua ope denegata actum de nobis fuiffi  
 cessitas agere iubebat, quæ non didiceram. Ta  
 Dei clementia terram, mutilato licet navigio, ap  
 vitæ evasimus. Lætus in terram *Hamburgensem*  
 transitu vidi *Scadam*, *Glücksladam*, nec non *Altona*  
 gi fere per mensem subfisti. Abhinc *Wismaria*  
 premi Appellationis iudicii qua provincias Ge  
 co Sceptro parentes sedem perveni, & ibi â pro  
 liberalissime sum exceptus, donec tandem quad  
 inter amicos svaviter consumto, *Rostoch*. atqu  
 siens mense Jan. 1726. ad lares & penates domest  
 animum Studiis Academicis applicare capi, q  
 primo die mensis Maji Collegium Institutionu  
 insuper varie docendo Jura occupatus fui, ubi  
 & per omne id tempus mihi donata præsentia  
 mini Comitiss de FLEMMING, cæterorumque Gene  
 DN. AUDITORUM, non tam indicium intensissimæ

B 2

